



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt X. Magnifica aliorum de VVilhelmo testimonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

C A P V T X.

*Magnifica aliorum de VVILHELMO
testimonia.*

PRÆCLARA sunt & magnifica eloquia quæ ab alijs ei attributa fuere; in primis à doctissimis Societatis I E S V Patribus, & præcipuè Corycæo illo & principe fautore Monasteriorum ac omnium Religiosorum parente R. P. Iulio Priscianensi, Collegij S. Hieronymi in Dilingana Academia quondam Rectore dignissimo; cuius testimonium tantò lubentius amplector recipioque, quantò præclara doctrina & rara vitæ sanctitate fuit nobilior. Is præterquam quòd VVILHELMVM in viuis adhuc *hominem non hominè sed Angelum* appellare non dubitavit, cùm Rothum post eius obitum quadam vice deuenisset, vnicè dilecti filij sui & famuli Domini tumulum monstrari sibi petijt, ad quem à R. P. Ioanne Feeg adductus, animo oculisque in cælum sublatis, isthæc in verba prorupit: *Verè hic Frater benediçtam habuit animam.* Magnum etiam illud quod suprâ attigi, à R. Præceptore eiusdem Societatis Presbytero eidem datum elogium, quòd scilicet Bonus is Frater plus proficeret suis orationibus,

ORDINIS PRAEMONST. 91
nibus, quàm reliqui discipuli vel diurnis ac
nocturnis vigiliis, summæque contentio-
nis studijs; quin ille idem doctrinæ iuxtà ac
vitæ vir integerrimæ, nostris Fratibus Re-
ligiosis post aliquot annos studiorum caus-
sa eò missis, *Angelum pacis* eum vocitare
solebat. Eiusmodi nomina plura ex vitæ
suæ ratione apud eosdem Patres sortieba-
tur, præcipuè quòd *Virgo verecunda* passim
audiret. Grandia de eodem, sed in eum-
dem scopum collineantia, perhibere te-
stimonia nostrates, R. P. Georgius Kurtz à
sacris VVILHELMO Cõfessionibus, quem-
que vt Angelum cælitus delapsum suspi-
ciebat, amplectebatur, ac miro honore
amoreque prosequabatur; R. P. Ioannes
Feeg eius sedulus Magister, nec minùs
amans obseruansque; R. P. Ioachimus Gie-
teler (qui ei ægritudinis tempore necdum
Sacerdos inseruiuit, quemque VVILHEL-
MVS vnicè dilexit & commendatum ha-
buit) postea factus Abbas anno 1611. zelo
disciplinæ Canonice & Norbertinæ ac sa-
lutis aliorum flagrantissimus. Quin & ipsi
persecutores graue ei testimonium dixe-
runt: vix enim VVILHELMVS (mirum &
stupendum dictu) ex hac vita in cælestes
oras discesserat, corporis ergastulo solutus;
cùm illi, nescio qua occulta vi tacti, mise-
rabiliter

92 VITA WILHELMI ROTHENSIS
rabiliter quæ in sanctum & innocentem
Domini famulum designarant lamentari,
ac quasi omni lætitia adempta numquam
non lugere, illudque vnicum suspirare, vt
malè in illum designatorum veniam obti-
nere mererentur. Quo vno fati hominis
sanctitatem mihi testati esse videntur: quip-
pe eius etiam precibus adscribendum vi-
detur, quòd post VVILHELMI obitum
ita pœnitudine acti ad frugem redierint.
Claudent hoc caput librumque Sorores
Horti S. Mariæ in Memmingen Ordinis
S. Francisci, & disciplinæ rigore & vitæ in-
tegritate laudatissimæ, quibus noster hic
VVILHELMVS à teneris vnguiculis optimè
notus & commendatus fuit, vt quæ ei in
tenera ætate & ad Religiosum statum au-
ctrices fuerint, & ad varia pia exercitia as-
sumenda ac frequentanda induxerint: ha-
rum literas penes me habeo, quibus mihi
statum integerrimi Iuuenis & innocentiam
testari voluerunt: eas fideliter in Latinum
conuersas huc adscribere lubuit.

Exemplar literarum.

I E S V S. M A R I A. F R A N C I S C V S.
GRATIAM celestem, auxilium, asisten-
tiamque impetiat nobis Pater misericor-
diarum, & Deus totius consolationis, quate-
nus